

Regiæ academiae Aboensis rector  
Jacobus Flachsenius lecturis  
salutem exoptat...

Flachsenius, Jacobus Henrici,

82 Aa 16/3



National Library  
of Sweden

1683. Febr. 4

REGIÆ ACADEMIÆ ABOENSIS  
RECTOR  
JACOBUS FLACHSENIUS

LECTURIS SALUTEM EXOPTAT PROPITIAM!



**N** cantione cygneâ vetusti Simeonis, quam Ecclesia Dei pridie piè meditata est, multa sunt quæ nobis *εὐχρησίαν* depingunt & commendant: præprimis illud observare lubet, quod mortem suam dimissionem appellet; ita enim *πὸ ἀπλευῶν* reddi solet: quamvis si vim vocis attendas, solutionem quasi à jugo inferre videatur. *ἀπολύσις* sive significet dimissionem à carcere, prout Math. 27: 26. Barrabas dicitur dimissus; piùm ex hac vitâ exitum hoc nomine convenienter appellabis: hæc namque vita quid quæso est aliud quam carcer? in quo lex peccati quæ est in membris nostris captivat nos Rom. 7: 23. à quâ captivitate per mortem liberamur; *qui enim mortuus est justificatus est à peccato* teste Paulo Rom. 6: 7. Vel si dimissio hic innuat dimissionem in patriam ut Math. 14: 15. usurpatur, nec inconvenienter beata mors indigitatur: in hæc enim vita sumus exules & in exilio constituti Psal. 39: 13. per mortem autem in cœlestem patriam vocamur ubi nostrum *παλινοῦσα* est Philipp. 3: 20. Dimissio quandoque in Scriptura S. dimissionem ex servitio importat, ut Job. 7: 2. Hoc quoq; nomine mors appellari meretur: nam velut servus laborando per totum diem defatigatus dimittitur tandem, ut ad quietem se conferre & vires recolligere possit: ita sumus omnes servi Dei, quos in certa statione collocavit, ubi multas experimur difficultates; sed dum vespera vitæ nostræ accedit, tum demum ad æternam quietem introducemur Est. 32: 12. *Dimitti* autem neutiquam dicendi, qui vel ex desperatione cordis, vel ex impatientia carnis violentas sibi ipsis manus inferunt: *tales namq; animas quæ ipso nolente à corpore exierunt Deus non suscipit*, ait Hieronymus. Egre giè itaque vocabulo dimittendi *ἀποχρησία* damnatur, quam qui committunt ipsius Dei regalia invadunt; siquidem potestatem dimittendi ex hac vita sibi soli reservavit Deus Psal. 90: 3. Bona autem cum creatoris sui gratia ex hac vita dimissus est juvenis literarum studiis, vitæ decentia ac integritate in primis memorandus DN, **MAGNUS ESCHILLI RUNSBECCHIUS** Calmariâ Oelandus, Regiæ hujus Academiæ, dum viveret, civis industrius. Natus fuit in parœcia Oelandensium *Thorislunda* & pago *Runsbeck* Anno salutis 1657, parentibus quidem rusticis, honestis tamen piis & probis; pater **ESCHILLUS HAQUINI**, mater **BENGTA MAGNI FILIA**, quibus in ætate jam minorenni orbatus. Cumq; natura ipsi ingenium felix concessisse videbatur, mox in tenera ætate literarum studiis est consecratus; primaq; eruditionis fundamenta posuit in Collegio Gustaviano Calmariensi, unde honorifico præceptorum suorum munitus testimonio ad Regiam hanc Academiam accessit præviisq; ritibus Depositionis A. 1679. die 12 Julii in numerum studiosorum est receptus. Sed telam studiorum simul ac vitæ abruptit mors præpropere beata tamen, placuitq; Deo citius eundem ex his mundanis ærumnis dimittere, adeo ut febris infestatus diuturniori curriculum vitæ benè & laudabiliter peractæ hic Aboæ finiverit anno e-lapso 1682 die 2. Decemb. h. 10. vespert. Anima quidem rediit eò unde venerat, corporis autem exuvie hodie hora 1. pom. in templo Cathedrali terræ omnium matri mandandæ, deducendæq; ex ædibus Sartoris **HENRICI** circa plateam templi majorem & novam habitantis. Quocirca Regiæ hujus Academiæ cives universos amicè compellamus, velint frequentes beato huic militoni suo ire exequias; vel eo ipso suam meditari mortalitatem. Valet. Dab. Aboæ die 4. Febr. seu Dom. Septuages. Anni Christiani cl. lxxxiij, p. p. sub Sigillo Universitatis.



